UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Recollectio Spiritvalis

Masen, Jacob

Coloniae Agrippinae, 1691

De Confessione Generali.

urn:nbn:de:hbz:466:1-60213

Visual Library

nem cum Magdalena ſub Cruce excipere: nunc te totum per eaſdem plagas in Chriſtum transfundere (nam qui diligit me, in me manet, ait Chriſtus, & ego in illo) nunc etiam cum eodem te Deo Patri in reconciliationem offerre, ita uberes ex hac pietate fructus colliges, & huc tutò te recipies in examine Dei ſupremo.

DE CONFESSIONE GENERALI.

SUadet D. IGNATIUS generalem Confeſſionem à primis Exercitiorum diebus, qui ad viam purgativam ſpectant, inſtituendam. Quamvis enim illi, qui ritè antehac omnia confeſſus eſt, neceſſaria non ſit: Eſt tamen ad vitæ præteritæ emendationem, malitiæque graviorem deteſtationem, tum conſcientiæ tranquillitatem, ob conceptum de peccatis, iteratúmque ſæpius ac ſeriò dolorem, ac denique ob meritum gratiámque divinam amplificandam, & digniorem S. Euchariſtiæ ſuſceptionem, cumprimis utilis, magnúmque in hora mortis, cùm præteritæ vitæ delicta ſtimulabunt conſcientiam, ſolatium eſt allatura. Tria autem potiſſimùm circa legum obſervationem ſtatuit eſſe expendenda, videlicet cogitata, verba, & opera. Legem autem & communem habemus, Decem præceptorum Dei, cui omnes adſtringimur, & privatam quiſque, ad ſtatus ſui rationem pertinentem. Hanc quiſque ex

Confeſſio generalis ad emendationem vitæ perquam utilis.

Tria ſpectat, cogitata, verba, & opera.

officio tenetur noviſſe, & paucis ferè abſolvitur : illam ad memoriæ ſubſidium, quia prolixior eſt, breviter exponam.

Quomodo contra præcepta Decalogi peccetur.

Peccatur in 1 præcepto.

In primo præcepto. *Ego ſum Dominus Deus tuus, &c.* Præcipitur, ut Deum, quemadmodum par eſt, colam, *fide, ſpe, charitate, & religione.*

Contra virtutes Theologicas

Contra *Fidem* peccat infidelis, hæſitans in aliquo fidei articulo, hæreſin, aut hæreticos fovens. Divinos aut Magos conſulens. Negligens doctrinam fidei. Imagines, ut Deum colens. Ad ſuperſtitioſa propenſus & credulus.

Contra *Spem* delinquo, ſi diffidam ipſius promiſſis, non exiſtimem me veniam conſecuturum, aut gratiam & gloriam, aut præſumam ex Dei miſericordia hæc mihi conferenda, licet media requiſita non adhibeam.

Contra *Charitatem*, ſi aliquam creaturam præ Deo amem, & hunc potius offendam quàm illam deſeram. Propriam voluntatem divinæ præferam. Magis tepidè Deo, quàm rebus temporalibus inſerviam.

Contra *Religionem*, ſi uſitatum in Eccleſia Dei cultum contemnam, aut negligam; nec cum debita ſubjectione, ſupremam Dei excellentiam reverear.

In 2. præcepto peccatur.

In II. Præcepto. *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum, &c.* prohibetur juramentum

que

quo Deus, aut creatura ejus nomine in teſtem vocatur, niſi neceſſitas & reverentia debita ad veritatem accedat: cenſetur autem neceſſitas, quando de temporali, aut ſpirituali bono non levis momenti agitur. Nec tamen facilè (ut D. IGNATIUS hîc notat) per creaturam jurandum; quod, niſi inter perfectos, longè debilior huic juramento fides ſubſit. *Malè jurando.*

Peccatur igitur, ſi vel veritas, vel neceſſitas, vel reverentia deſit: Si levis momenti res, ſi ambigua veritas, ſi implendi propoſitum abſit. Malum tamen, etiam juratus, nemo tenetur, aut debet implere. Peccatur graviſſimè in judiciis ſi falsò juretur: & damnum hinc emergens ſarciendum eſt. Peccant graviter, qui ſibi aliiſque diabolum imprecantur: blaſphemi, qui Deo Sanctiſque contemptibilia, aut iniqua tribuunt: S. literas etiam ad inepta adhibent: qui vota & promiſſa Deo facta non implent. *Imprecatione, blaſphemia*

In III. præcepto. *Memento diem Sabbathi ſanctifices.* Præcipitur ſanctificatio dierum Deo dedicatorũ, cultúſque debitus, ſervilibus operibus remotis. Peccant igitur, qui ſervilia eo tempore per ſe alióſque curant, ſacra, confeſſiones, ſynaxin, conciones, jejunia præſcriptis ab Eccleſia diebus negligunt, aut alios eodem inducunt. Item qui gula, commeſſatione, & ebrietate tunc potiſſimum, excedunt. *In 3. peccantur vel ſervili opere, vel neglectu ſacrorum.*

In IV. præcepto. *Honora patrem & matrem, &c.* Exigitur honor & obedientia his aliiſque *In 4. peccatur non obe-*

 ſupe-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

diendo ſuperioribus.

ſuperioribus, & majoribus dignioribúſque exhibenda. Peccant igitur, non tantùm, qui honorem obſequiúmque his denegant; ſed qui obmurmurant etiam, ac detrahunt, mala imprecantur, & mortem optant. Petri præceptum eſt: *ſubjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum.* Obtemperandum autem, quoties peccatum non præſcribitur. Quia verò ſuperbia & arrogantia, quibus ſe reliquis hominibus ferè homo præfert, ad ſubjectionem, obedientiam & honorem præſtandum imprimis obſunt, his graviter ſæpè peccatur, etiam cogitatione ſola.

1 Pet. 2. 13.

In 5. peccatur odio, ira, rixis & læſione varia.

In V. præcepto. *Non occides*, prohibetur occiſio tam ſpiritualis animæ, quàm temporalis corporis, omníſque ad utramque per exempla pravæ vitæ, iram, inimicitiáſque diſpoſitio. Peccant igitur, qui cogitatione, ſeu deſiderio occidunt, vindictam quærunt, odium irámque fovent, mala quævis optant proximo. Invident, dolentq; de bonis alterius, verbis lædunt rixoſis, contumelioſis, &c. Verberibus aut vulneribus affligunt, præſertim clericos. Deindè qui ad malum, & mortem animæ conſilio, exemplo, impulſu, ſcandalo inducunt, aut, cùm poſſunt, à ſcelere non avertunt, non ſecus, quàm qui in ſubmerſionis periculo conſtitutum non adjuvant.

In 6. & 9. peccatur

In VI. præcepto. *Non mœchaberis*, & IX. *Non concupiſces uxorem proximi.* Vetatur

omnis

omnis turpitudo, cogitationis, verbi & operis, quæ varia eſt, mollitiei ſeu immunditiæ & pollutionis ex contactu proprio, ſeu alieno; fornicationis, adulterii, inceſtus, ſodomiæ, beſtialitatis, &c. Et his pleríſque graviſſimè delinquitur. Paulúſque monet eos, *qui talia agunt, regnum Dei non conſecuturos.*

turpi quovis cogitatione verbo & opere.

Peccant igitur, qui ſola cogitatione talium rerum imaginibus delectantur, magis ſi patrare deſiderent, maximè ſi perpetrent. Exponendúmque, tam quæ perſona peccans, quàm cum quâ peccare deſignarit, an libera, an conjugio, an voto obſtricta? an ſacerdos, aut clericus? quoties & quamdiu immoratus? an in contactu perſonas, & quales ſibi imaginatus ſit? quia plura peccata concurrunt. An turpia, & quo fine locutus? & quot audientibus ſcandalum præbitum? an alios induxerit? ſe peccandi periculo ſciens expoſuerit? cantilenas, tactus, aſpectus, (oſcula adhibuerit? libros obſcœnos legat, ſociis cohabitet? &c. His enim abſtinendum. Cetera opera luxuriæ, etiam inordinata conjugatorum, per ſe manifeſta ſunt, tam in numero, quàm ſpecie exponenda. Quomodo enim ſanabit medicus vulnus, quod ignorat?

In VII. præcepto. *Non furtum facies*, & X. *Non concupiſces rem proximi tui*: Prohibetur omnis illicita alienæ rei uſurpatio. Quod tam in re ſpirituali (cùm vel gloriam Deo, vel

In 7. & 10. peccatur quavis deotentione.

& uſurpatione rei alienæ invito Domino.

beneficia & preces debitas Eccleſiæ ſubtraho) quàm temporali fieri poterit. Nec ſolùm actor præcipuus hic ſpectandus; ſed & jubens, conſulens, conſentiens, laudans, recipiens. Qui etiam in damno dato ad reſtitutionem obligantur. Unus poſt alium, ſi deſunt cæteri. Quos hoc verſu indicant. *Juſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus.*

Et oritur obligatio reſtitutionis, ut ſatisfiat.

Peccant igitur quotcunque rem invitis Dominis retinent, aut uſurpant: *Nec dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*, ſi facultas adſit.

Res itaque, quæ & quanta ablata, & cui, & quo modo & quanto damno videndum eſt; quod palam aufertur rapina eſt, quod clam furtum, quod ex rebus ſacris, ſacrilegium, quod pro conceſſis pecuniis poſcitur, uſura eſt, niſi damnum emergens aut lucrum ceſſans æſtimetur. Peccant etiam, qui in luſu fraude lucrantur, & tenentur reſtituere, ſicut qui per venditionem, aut emptionem fallunt, aut plus æquo res æſtimant: qui mercenariis aut ſervis juſtam mercedem non ſolvunt: Creditoribus non ſatisfaciunt, cum poſſunt, tempori, & ad damnorum compenſationem tenentur. Rurſum qui litem injuriâ intentant aut prorogant, ſeu Advocati, ſeu Actores. Denique & plurium Eccleſiaſticorum beneficiorum poſſeſſores, niſi juſta cauſa excuſet. Tum qui pro his pecunias vel accipiunt, vel poſcunt,

Tam in ſacris, quam profanis.

cunt,

cunt, licet titulis coloratis hoc fiat. Nam ſola intentio non cedendi niſi accepta pecunia: aut non dandi pecuniam, niſi beneficium detur, in vitio eſt. Ditare verò opibus ſacris profanos, eſt Eccleſiæ ſua ſuffurari, niſi pro bono id fiat Eccleſiæ. Sic preces canonicas & officia Eccleſiæ debita non præſtare, aut omnino negligenter, eſt Deo honorem debitum ſubtrahere, tenetúrque Eccleſiaſticus, qui neglexit, ad fructuum perceptorum reſtitutioné.

In 8. peccatur quovis linguæ vitio, per quod res, aut fama proximi læditur.

In VIII. *Non loqueris contra prox. falſum teſtimonium*, vetantur omnia linguæ peccata, quibus fama aut res proximi læditur, quo ſpectat mendacium, detractio, temerarium judicium, hypocriſis, & ſimulata officia. Peccant igitur, qui vel falſum crimen imponunt, aut grave occultúmque (niſi intentione bona ad cautelam aliorum) manifeſtant, tenentúrque ad famæ læſæ, quantum fieri poteſt, revocando, aut corrigendo, reſtitutionem. Ita temerè de aliorum gravi delicto judicans, graviter delinquit: ſuſpicans leviùs, niſi ſuſpicionem malâ intentione prodat. Quo verò plures gravioréſque ſunt perſonæ, de quibus judicatur aut detrahitur: (ut Princeps, integer Magiſtratus, aut ordo Eccleſiaſticus, vel religioſus) tantò crimen gravius, & obligatio ad famæ reſtitutionem major. Ipſi etiam detractorum auditores, ſi volupe audire ſit; aut non corrigant, dum poſſunt, ſcelus participant. Jam & ſecreta

aliorum ſibi credita prodere, litteras ea tractantes aperire & intueri, mendaciis & hypocriſi circumvenire, tantò majus delictum eſt, quantò cum majori damno conjunctum. In his aliiſque proximum ſpectantibus, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, & à multis delictis liber es futurus.

His in examine Conſcientiæ expenſis, videre poteris, an in ſeptem peccatis capitalibus, Superbia, Avaritia, Luxuria, Invidia, Gula, Ira, Acedia, aliquid ſe offerat, quod in præceptis adductum non fuerit.

In certis verò ſtatibus, aut officiis conſtituti ut Eccleſiaſticus, aut Religioſus, Judex aut Prælatus, expendet ſui ſtatûs, & officii leges peculiares, vota ac juramenta, & ſi quid adverſus illa peccatum ſit, obſervabit.

ORATIO

Quâ Pœnitens per ſuſpiria piæ è S. Lit. petitâ, dolorem de peccatis, & emendationis propoſitum concipit.

Iſa. 1. VÆ mihi peccatori, filio ſcelerato, qui

Job. 7. dereliqui Dominum, & abalienatus ſum

Iſ. 59. ab eo retrorſum. Peccavi, quid faciam tibi ô cuſtos hominum, quarè poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum mihimetipſi gravis? Heu mihi quia iniquitates meæ diviſerunt inter

me